Petricu Joan. Innocentii: Quaestio de hydrope

IOANNIS INNOCENTII PETRICII PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,

QVÆSTIO DE HYDROPE.

Pro loco in Alma Vniuersitate Cracouien. inter Medicinæ Doctores possidendo, publicè ad disputandum


PROPOSITA.

4. Nonas Aprilis, Anno M.DC.XX.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cesarij.

c.

IN ARMA LEOPOLIS.



Quis Devs, aut Fortuna tria hæc coniunxit in vnum?
Quid ſimul hæ turres, porta recluſa, Leo?
Simplicem amat cultum virtutis clara Leonis
Patria, ſimplicibus cur caret ergo notis?
Inuictum turres robur, dignis ad honores
Porta patet, vigiles ſed notat iſte Leo.
Scilicet è trino perfectio maxima conſtat,
Summum etiam Trinum nouimus eſſe bonum.

Fridericus Alnpechius Leopolitanus
Ad primam Phil. Lauream Candidatus.

SENATVI POPVLOQ. LEOPOLIEN. PATRIÆ SVÆ,

Ioannes Innocentius Petricius cultus pietatiſque Symbolum.

VEnerabar vos, VIRI AMPLISSIMI, id verò magnitudo veſtra merebatur, quæ adeò ſe per totum Septentrionis orbem porrexit, vt nulla ei anteferri aut cum ea iure optimo cōferri poſſit. Quicquid vobis eſt, nuſquam eſt præſtantius. Senatus eius maieſtatis & ſapientiæ, vt non ex vna gente, ſed ex toto terrarum orbe electus videatur; Vrbs eius fælicitatis & admirationis, vt fœcunda ingeniorum propagatione, non ſibi ſolùm ad gloriam ſufficiat, ſed vniuerſo regno ad vſum etiam publicum impertiat; Terra eius vbertatis & hoſpitalitatis, vt in eius ſinum propitia naturæ vniuerſitas, opum ſuarum vterum, tanquam in gra-

tum benignitatis ſuæ gremium deponat. Patebant iſta, ô Inclytæ Vrbis Proceres, in venerationem veſtri omnibus, quos iam pridē Ruſsia in magno fertilitatis ſuæ gaudio tanquam dignum maieſtate ſua Caput, ſapientia & prudentia redimitum per diuerſos terrarū ambitus pleno admirationis ſuæ vultu circumfert. Potui & ego cum cæteris in ſola veneratione magnitudinem veſtram vel ſilentio admirari, ni inquies animus perpetuo veſtri cultu nutritus qua eam publica vobis teſtatione profiteretur quæreret. Iam verò in hac mea in Sanctiſsimā literarum Ciuitatem feſtinatione, pauliſper vos mihi tanquam viatori lucus aliquis ſacer religioſam obieciſtis moram, vt vobis velut in quodam tranſcurſu cultus pietatiſq; debitæ ſymbolum volens lubenſque litarem, voſque pugnæ meæ patronos, Leones prælio adoptarem. Fauete VIRI AMPLISSIMI, En me quem patria veſtra filium fecit, Academia accipit, hæc ſponte illa ſorte. Vobis ergo gratam pietatem debeo, Academiæ voueo, imo & vobis & Academiæ Debeo, Voueo.

QVÆSTIO.

Vtrum Hydrops ſit tumor totius corporis aut alicuius partis, profectus ab intemperie frigida iecoris tanquam à primo ſuo principio effectiuo. Eſsentialiter in tres ſpecies, Aſcitem, Anaſarcã, & Tympanitem diuidatur. Recte per triplex inſtrumentum Therapeuticum curetur, necne?

CONCLVSIO I.

Hydrops eſt tumor totius corporis, aut alicuius partis profectus ab intemperie frigida hepatis tanquam à primo ſuo principio effectiuo.

COROLLARIA.

I. *Hydrops est tumor aquosus generatus aut ex sanguine pituitoso per totam molem corporis diffuso, nec tamen vnito aut ex humore aquoso vel flatuoso in regione abdominis stabulante.*

II. *In Anasarca intumescit compages totius corporis sanguine pituitoso sese in totum corpus per venas insinuante.*

III. *Materia aquosa in capacitatem abdominis nunquam per vasa vmbilici: raro hiatu vasis alicuius aperti aut exesi excidit, sed vt plurimum per cæcos & porosos meatus exudat.*

IV. *Tympanites quia raro absoluitur à consortio aquæ, potest eadem ratione qua Ascites in abdomine colligi.*

V. *Hepar nullam harum materierum hydropi subministrare potest, nisi vitium aut ipsi per se accedat, aut aliunde communicetur.*

VI. *Vitium sufficiens ad conflandum hydropem iecori accedere non potest nisi calidum ipsius fixum & complantatum elanguescat.*

VII. *Frigus in hydrope aliquando ex contactu & assumptione frigidorum, aliquando ex suffocatione aut dissolutione caloris natiui inducitur.*

VIII. *A quacunq; tamen causa iecur intemperiem istam suscipiat, semper in sanguificatione aberrat.*

IX. *Sanguificatio noua extra iecur in venis esse non potest, sed solum propriè & principaliter in ipso iecore ab ipsius carne perficitur.*

X. *Volumus in venis non posse id quod formaliter sanguis non est in sanguinem verti, non autem negamus confici & alterari ac concoqui melius eum sanguinem, qui in iecore genitus perfectam ex eo alterationem non habebat.*

CONCLVSIO II.

Hydrops essentialiter in tres species Ascitem Anasarcam & Tympanitem diuiditur.

COROLLARIA.

I. *Hydropis species ita inter se differunt, vt Ascites iecoris frigiditatem magis excessiuam habeat, Tympanites mediocrem, Anasarca minorem.*

II. *Aqua tamen in hydrope incalescit ex accidenti videlicet à viscerum caliditate, & quod in vno loco detenta putrescat.*

III. *Sitis & febricula in Ascite per accidens inducitur.*

IV. *Hydropes aquosi in alijs etiam partibus præter ventrem stabulantes ad Ascitem reducuntur.*

V. *Ascitem neq; solæ venæ sero tumentes, neq; sola viarum vrinæ obstructio, neq; sola ruptio vreterum, neq; sola imbecillitas renum propriè causare potest.*

VI. *Aqua in ascite genita vitium quoddam ab hepate suscipit propter quod in ventrem expellitur nec à renibus exugitur.*

VII. *Tympanites etiamsi principaliter pendeat à iecore, ventriculum tamen & intestina plerũq; iniuriæ suæ comites sibi adiungit.*

VIII. *Ventriculus alitur chylo non sanguine.*

IX. *Pituita formaliter generatur in ventriculo non in iecore.*

X. *Iecur humorum omnium non est proprie & per se præterquã sanguinis officina.*

CON-

CONCLVSIO III.

Hydrops per triplex Therapeuticum instrumentum curari potest.

COROLLARIA.

I. *Sanguinis missio neque in Anasarca, neque in Ascite, nisi is malum facessat, decubituque suo suffocet, fieri non debet.*

II. *Tympanites aliquando admittit sectionem venæ.*

III. *Paracentesin Ascites tantum isque completus nec lethalis constantibus viribus ætate florida admittit.*

IV. *Probatur ab Andrea Laurentio inuenta, aliquando tamen ad latera commodior videtur.*

V. *Ratio curandi hydropem in eductione luxuriantis materiæ, reductione membri ad pristinum robur, non semper in præparatione humoris peccantis consistit.*

VI. *Aqua nulla coctione præmissa euacuari potest.*

VII. *Aquæ stabulantes non magis per aluum quam per vias vrinarias educi possunt.*

VIII. *Eædem collectæ intra peritoneum, & intestina diureticis non nisi per accidens expelluntur.*

IX. *In Ascite completo prius insistendum aquarũ expulsioni, quàm membri generantis materiam ad pristinum statum reductioni.*

X. *Hydropicis victus calidus & siccus competit.*

PRO

Pro Doctoribus Philoſophiæ
PARERGA.

Vtrum generatio aquæ in hydrope immediate pendeat à ſubſtantia iecoris, an vero ab elemento in iecore prædominante.

CONCLVSIO I.

Generatio aquæ in hydrope immediate non pendet à ſubſtantia iecoris.

COROLLARIA.

I. *Subſtantia in generatione ſubſtantiæ non agit immediate ſed mediantibus accidentibus.*

II. *Accidentia ita concurrunt ad producendam ſubſtantiam vt productio ſubſtantiæ ab ipſis accidentibus immediate dependeat.*

CONCLVSIO II.

Non videtur inconueniens concedere in iecore aliquo modo prædominari elementum aquæ.

COROL-

COROLLARIA.

I. *Elementa sunt in mixto quo ad suas formas & substantiam actu realiter & formaliter.*

II. *Falsum est illa esse in mixto secundum substantias refractas.*

Paradoxum.

Sumptum ex Fernelio lib. 2. de ele. Cap. 8.

QValitates & virtutes elementorum in mistis manent remissæ & refractæ, formæ verò substantiales elementorum manent integræ; ita tamen vt in vna & eadem particula materiæ non sit nisi forma vnius elementi, & in altera particula vna forma alterius elementi, nec in vna & eadem parte reperiantur omnes quatuor formæ substantiales elementorum.

Diſputabitur publicè in florentiſsimo Cracouienſi Gymnaſio, ſub fœlicibus auſpiciis Admodum Reuerendi & Magnifici Domini SEBASTIANI KRVPKA I. V. Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cracouienſis, Præpoſiti Vielicienſis nec non Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis Rectoris digniſsimi, vigilantiſsimi. Anno Dni 1620. 4. Nonas Aprilis.